

luant. Decepit ebrietas Lotum, quem A  
Sodoma non deceperat. Ideo Ambro-  
sius: *Discamus hinc, vitandam ebrietatem,*  
*per quam crimina cauere non possumus. Nam*  
*qua sobrii cauemus, per ebrietatem ignorantes*  
*committimus.*

37 ET CONCEPERUNT. Euen-  
tus consilij imprægnatio filiarum, &  
partus. Nomina induunt filiis in perpe-

tuam memoriam admissi sceleris, Ex in-  
fami ergo concubitu orti sunt duo po-  
puli, Moabitæ & Ammonitæ, incolæ  
CæleSyriæ, qui grauiter deinceps po-  
pulum Dei afflixerunt, eoque ab Eccle-  
sia in sempiternum exclusi fuerunt Dei  
singulari præcepto, Deuter. 23. 3. & 27.  
Nehem. 13. 1. Et hic quidem historia Lo-  
ti finitur.

## CAPITIS VIGESIMI

### Argumentum, Vfus, Partitio.

**D**escribitur alter raptus Saræ, & eius diuina vindicatio non dissimilis priori, de quo sub finem  
cap. 12. Abraham profectus Hebrone in regnum Gerar, sinistro quodam metu vt prius, Saram  
dissimulat esse vxorem. Ideo Abimelech Rex eam accipit: sed monitus oraculo intactam Abrahamo  
cum regia munificentia restituit. Illustria audiemus prouidentie & bonitatis Dei exempla in custo-  
diendis & liberandis piis: in corrigendis suorum lapsibus: in dirigendis hominum etiam poten-  
tum atque regum voluntatibus & factis, vt omnia electorum saluti, & gloria ipsius seruiant.

Partes capituli quatuor:

1. Raptus Saræ, & eius occasio, vers. 1. 2.
2. Oraculum de ea restituenda, vsque ad vers. 8.
3. Expostulatio Abimelechi cum Abrahamo: & huius apologia, vsque ad vers. 14.
4. Restitutio Saræ, & Abimelechi sanatio, vsque ad finem.

## PRIMA PARS CAPITIS.

### Raptus Saræ.

- 1 Et profectus est inde Abraham ad terram Meridianam, habitauitq; inter Cades & Sur: ac  
peregrinatus est in Gerar.
- 2 Dixitq; vero Abraham de Sarah vxore sua: Soror mea est. Misit ergo Abimelech Rex Gerar,  
& accepit Saram.

### EXPLANATIO.

1. **E**T PROFECTVS EST ABRA-  
HAM. Historiam deletæ Sodo-  
mæ & Loti, cap. 18. & 19. quasi *παράγωγος*  
Moses intexuit. Nunc ad Abrahamum  
reuersus, quid ei sub id tempus accide-  
rit, refert. Denuo migratione suscepta  
ex Hebron Austrum versus, in discrimen  
amissæ vxoris incidit, & non dissimili  
occasione, qua prius. Profectus dicitur  
inde, nempe ex Hebron, vbi plus minus  
annis 24. vixerat, inde à di-

uisione Loti hucusque: *Ad terram Australem:*  
In regnum Gerar, ibi peregrinatus  
est aliquandiu hospes. Gerar metropolis  
Palestinae terminus Australis fuit Can-  
anae, vt patuit supra cap. 10. 19. Sita  
fuit inter duo deserta, Cades & Sur, vt  
annotauit Hieronymus libro de locis  
Hebraicis. De Cades cap. 14. 7. de Sur  
c. 16. 7. est dictum. *Causam migrationis*  
Moses tacet. *Alij* putant fuisse studiū hospi-  
talis exercitæ, quia Sodoma euer-  
sa non